

# NICOLAUS I

PONTIFEX ROMANUS

## NICOLAI PAPÆ I VITA

(Apud Mansi, Conc., tom. XV, pag. 144.)

Nicolaus (a) natione Romanus, ex patre Theodoro regionario, sedit annos novem, menses duos, dies viginti. Hujus insignes beatissimi actus omnibus a primordio pueritiæ suæ fulserunt, intactisque moribus claruerunt. Tanta enim sacrorum comptus erat pulchritudine operum, ut nihil ludi, nihilque, ut pueri solent, inhonesti delectaret illum. Vacabat autem patientiæ et sobrietati, flagrans humilitate puritateque præcipua. Pater vero ejus liberalium cum fuisset amator artium, et nobilissimo polleret stemmate, castis [forte cunctis] eum elementis, almificisque ritibus imbuens, litterarum studiis, et optimis artibus perornabat, ita ut nulla sacrarum species remaneret disciplinarum, quam internis conceptam visceribus, suæque cognitioni traductam non haberet. Crescit autem membris, crescit et sapientia, clarus modestia, spiritu et scientia decoratus: probabilium nempe morum si quoscunque viros conspiceret, illico concitus adhærere studebat, illisque congratulabatur optime.

Cumque cum prudentissimo patre ad quemdam beatissimum crebro virum accederet, qui sancti per illustrationem Spiritus plura fidelibus prædicabat, amplo eum asserebat in culmine ascensurum. Decoris enim intimi magnitudinem intuens, mentisque dulcedinem coruscare, hujus ordinatione ac clericatus perductus est ordinem, ut quod divino senserat nutu, futuris temporibus impleretur. Sergius porro præsul in summæ actionis cum fastigia conscendisse cum audiret, parentum illum deducens ab ædibus in patriarchio locavit, et in subdiaconatus per benedictionis gratiam constituit gradum. In quo mirificis observationibus degens, cœlesti fruebatur ardore. Sergio vero papa ab hac corruptibili vita subtracto,

(a) *Nicolaus*. Anno Redemptoris nostri 858, temporibus Ludovici secundi, et Michaelis imperatoris, evehctus est in sedem apostolicam Nicolaus, quem Ludovicus imperator, postquam Benedictum papam ejusve sedem per schismaticum antipapam Anastasium plurimum exagitasset, magna omnium admiratione, Deique singulari providentia summopere est veneratus. Ad Bulgaros nuper ad Christi fidem conversos legatos misit, qui ut eorum rex peterat, eos catholicis erudirent præceptis. Cum autem Ignatius Constantinopolitanus patriarcha Bardæ Cæsari Michaelis imperatoris avunculo ob incestum cum nuru commissum excommunicationem esset minatus, ob in Bardæ opera, Michaelis imperatoris auctoritate, sede dejectus fuit, in ejusque locum Photius, qui patriarchatus honorem jam ante affectaverat, et episcopis schismaticis contra Ignatium se conjunxerat, eductus ex foro et sæculari militia, subrogatus, et a Gregorio Syracusano episcopo, qui prius ab Ignatio depositus fuerat, consecratus est. Qua de causa Constantinopoli et finitimis in civitatibus ortum est

A Romanæ Ecclesiæ Leo gubernacula præsul suscepit.

Qui in eo sæpissime videns perseverantiæ fructus, ingenti illum diaconum consecravit dilectione. Hoc quippe eo in ordine ministrante, tanta illi desuper concessa fuerat gratia, ut summæ actionis a cunctis cerneretur perfectionibus rutilare. Amabatur autem a clero, a nobilibus laudabatur, et a plebe magnificus amabatur.

Leone scilicet papa defuncto Benedictus miræ beatitudinis vir, et sacratissimus pontifex, superno protectis auxilio Romanæ præponitur sedi, suæque illum administrationi conjunxit, eo quod magis illum, quam suæ consanguinitatis propinquos dilexit, ita ut per nullius horæ momentum sine illo esse delectaretur. Quidquid ecclesiasticarum rerum utilitatibus intuebatur congruere, cum eo promulgans diffinitioni tradebat, prudentissimas sui contemplans arbitrii opes, sensusque clarescere virtutem: utriusque enim semper observantia utiliora suo conamine faciebat. Ad extrema tandem vitæ Benedictus perductus, pretiosæ mortis calicem sumpsit, suisque eum humeris, cum adhuc diaconus esset, usque ad apostoli beatissimi Petri basilicam cum aliis diaconibus gestans, propriis manibus tumulo collocavit, dilectionis præmium pandens quod circa eum habebat, et amoris integritatem.

Eo autem tempore invictissimus Roma Ludovicus Cæsar discesserat. Qui ejus cum transitum cognovisset condolens, concitus ad eam reversus est. Romani quippe tanto pastore amisso mœstissimo gemitu lacrymas effundebant.

Cumque clerus, proceres et optimatum genus congregarentur, jejuniis et orationibus, atque vigiliis insistebant, incessabili Dominum conamine obse-

schisma, aliis quidem Photii promotionem defendentibus, aliis autem eam impugnantibus. Quocirca imperator dedit operam, ut ipse pontifex legatos ad schisma sedandum et Ignatii depositionem confirmandam mitteret. Pontifex legatos quidem misit, tum ut Ignatii causam investigarent et ad se referrent, tum etiam ut Iconomachos, qui tunc Constantinopoli vigeant impugnant. Legati contra pontificis mandatum Photii electioni assensi fuerunt, et cum Romam reversi essent, pontifex, cognita causa synodoque coacta, eos deposuit; injustam Ignatii depositionem, et nullam Photii ordinationem esse decrevit. Imperatoris autem repressit audaciam, qui ægre ferens quod Photium damnasset, et Bulgarorum rex a Romana Ecclesia legatos qui se in fide instruerent, mitti petiisset, litteras ad eum contumeliosas scripserat, et conciliabulum Photio auctore contra ipsum pontificem coegerat. De Photio aliisque rebus sub Nicolao præclare gestis, agemus infra in notis conciliorum sub Nicolao et Adriano habitorum, ne scilicet cum nausea lectoris bis eadem dicamus. Sev. BIN.

crantes, ut qualem amiserant talem illis dignaretur ostendere virum, quem pontificatus culmine sublevent. Hæc vero dum gererentur, in basilicam beati Dionysii confessoris atque pontificis cum universo populo convenerunt.

In qua per aliquod spatium confabulantes horarum, sidereo accensi fulgore unanimes illum apostolicæ sedis præsullem esse sanxerunt, et celeri gressu ad principis apostolorum Petri continuo aulam properaverunt, in qua ipse confugiens, latitabat. Dicebat enim indignum se tanti regiminis gubernacula esse suscepturum. Impetum vero qui aderant facientes, viribus illum de eadem basilica abstrahentes, sacris acclamationibus in patriarchium Lateranense introduxerunt, apostolicoque solio imposuerunt. Postmodum vero a nobilissimorum cœtibus, cunctoque etiam populo in basilicam beati Petri apostoli deductus, præsentem Cæsare consecratus est, apostolicaque sublimatus in sede factus est pontifex, et missarum solemniam supra beatissimum corpus apostoli beatissime celebravit. Qui densis optimatum populique agminibus cum hymnis et canticis spiritalibus in patriarchium iterum Lateranense perductus est. Coronatur denique, Urbs exultat, clerus lætatur, senatus et populi plenitudo magnifice gratulatur, viii Kalendas Maii.

Tertio igitur consecrationis ejus die cum Augusto convalescens ophistico [i. e., sophistico] fame resplendebat, charitateque plenus epulabatur in Christo. Finitoque convivii apparatu consurgit, Cæsaremque specialem, et veluti charissimum deosculans filium, immenso circumdedit amore.

His itaque gestis serenissimus imperator inde discessit, sedemque in loco qui Quintus dicitur collocavit. Beatissimus autem præsul hoc audiens dilectionis ejus compulsus plenitudine atque amoris, ad eundem cum proceribus et optimatibus Romani nominis locum properavit. Excellentissimum quem cum vidisset Augustus, obvius in adventum ejus occurrit, frenumque Cæsar equi pontificis suis manibus apprehendens, pedestri more, quantum sagittæ actus extenditur traxit.

Imperiale cum quo ingressus tentorium salubribus adinvicem fruebantur colloquiis, mensisque epulis perornatis pariter cibum speciali sumpserunt alacritate. Satiati scilicet mensisque remotis, plura serenissimus Cæsar beato præsuli contulit dona. Quibus susceptis, equum conscendens, unde discesserat conabatur reverti.

Augustus ejus amore fretus imperialis equi superscandens cathedram, ovanti cum eo incedebat animi voluptate. Ad quemdam quidem cum pervenissent spatiosissimum itineris locum, imperator equo descendit, equumque pontificis iterum, ut meminimus supra, traxit, dulcissimisque osculis ad invicem propinquantes latiflue [luciflue] gratulati sunt.

Cæsar vero ad tentorium remeans cœptum arripuit iter. Præsul autem nobilissimorum cœtibus, quibus prosecutus fuerat, septus Romam ingressus, almificaque est comitatione magnificatus. Erat enim aspectu pulcher, forma decorus, doctus in verbo, loquela humilis, actu præclarus, jejuniisque et divino cultui intentus, pauperibus largus, orphanorum protector, et viduis fautor, populique cuncti defensor. Sed quia cuncta quæ sacri operis gessit, huic tradere scripturæ non possumus, ad ea quæ sanctis locis obtulit redeamus.

Hic beatissimus præsul divina inspiratione repletus, in diaconia sanctæ Dei genitricis Mariæ dominæ nostræ quæ vocatur Cosmedin, fecit holosericam unam de stauraci, habentem historiam, leones majores duos.

Ibi ipse fecit velum album rosatum unum, ornatum in circuitu de Tyria miræ magnitudinis. Obtulit vero in jam dicta diaconia gabatham saxiscam de argento purissimo unam deauratam, quæ pensat

libras duas et uncias quatuor. Fecit autem in basilica Salvatoris, quæ Constantinianæ nomen sumpsit a nomine Constantini, cruces de argento purissimo, quæ pendent ante figuram substantiæ carnis ejusdem Domini nostri Jesu Christi. In quibus ad laudem ipsius ecclesiam festis diebus cerea figura solitis, quæ pensant libras numero quatuor et semis.

Item in basilica quoque semper virginis Mariæ dominæ nostræ, quæ vocatur ad Præsepe, fecit cantharum de argento sessilem parium unum, pensans libras octo et uncias quatuor.

Ipse quidem a Deo protectus et beatissimus pontifex superno favore plenus obtulit in basilica beati Petri apostoli nutritoris sui gabatham de auro purissimo unam pretiosissimis gemmis pensantem libras numero tres, uncias octo.

Fecit etenim in confessione ipsius sacratissimæ basilicæ jugulum de auro mundissimo unum, pensans libras numero duas. Similiter vero in jam dicta ecclesia fecit cruces de argento mundissimo numero sex, pensantes simul libras tredecim et uncias quinque. Eo autem modo in basilica doctoris gentium beati Apostoli cruces ex argento purissimo duas, pensantes simul libras numero quarto; nam et in basilica sancti Laurentii martyris, quæ sita est foris muros, ferit cruces duas de argento purissimo, pensantes simul libras numero quatuor.

Primo quidem pontificatus sui anno aurea quædam ipsius beatitudini pretiosissimis compta gemmis corona perducta est librarum habens pondera numero octo et unciarum quatuor, ad gloriam supra sacratissimæ ejus altare basilicæ aureis ingenti exaltavit amore catenulis. Verum etiam in jam dicta ecclesia beati Petri apostoli nutritori suo gabathas ex argento purissimo numero novem quæ pensant simul libras numero duodecim, et semis.

Ipse vero a Deo protectus venerabilis et præclarus pontifex fecit in monasterio sancti Stephani et Silvestri, quam noviter fundavit sanctæ recordationis dominus Paulus quondam papa, in ecclesia majore, quæ vocatur sancti Dionysii ad honorem et gloriam sacri altaris, vela quatuor de stauraci. Hujus præclari pontificis, id est mense Octobri, die trigesima, indictione octava, fluvius qui appellatur Tiberis, alveum suum egressus est, et per campestria se dedit; intumuit etiam inundatione aquarum multarum, et ingressus est per posterulam, quæ appellatur sanctæ Agathæ, in urbe Roma quam hora diei transcendit, interea aliquibus locis, et ingressus est in ecclesiam beati Laurentii, quæ appellatur Lucinæ. Inde se extendit, et ingressus est in monasterium sancti Silvestri, ita ut ex gradibus qui ascendunt in basilicam beati Dionysii præ multitudinem aquarum ne unus videretur, excepto uno qui superius erat. Et exinde expandit super plateam, quæ vocatur Via Lata, et ingressus est in basilicam sanctæ Dei genitricis Mariæ, quæ ibidem est: tantumque intumuit aqua, ut etiam portæ ipsius ecclesiæ non viderentur præ altitudine aquarum. Et inde ascendit per plateas et vicos usque ad olivum Argentarii. Exinde redundans ingressus est per porticum, quæ est posita ante ecclesiam sancti Marci. Inde impetum faciens cœpit decurrere in cloacam, quæ est juxta monasterium sancti Laurentii martyris, quod vocatur Pallacini. Ab ipso die cœpit et deinceps paulatim aqua se minuere, et fluvius post multo damno facto in suum alveum reversus est.

Nam domos et muros evertit, agros desertavit, evellens segetes et eradicans arbusta. Simili modo in mense Decembrio, die vigesima septima, natali sancti Joannis evangelistæ, indictione supra scripta, ingressus est alia vice fluvius ipse qui appellatur Tiberis, alveum suum egressus est ut supra in civitate Romana; omnia ut supra.

Simili modo præclarus et beatissimus pontifex fecit in monasterio sancti Valentini, quod est posi-

tum in territorio Narniensi, juxta Interamnem, vestem de fundato unam habentem historiam leonum, et in circuitu myzinum. Item venerabilis et præclarus pontifex formam aquæ, quæ vocatur Tocia, at vero jam per evoluta annorum spatia nimis confractam existentem, per quam decurrebat aqua per centenarium in urbem Romanam, a fundamentis ad fabricandum atque restaurandum, eadem forma præparavit. Verum etiam et in ecclesia ejusdem Dei genitricis, et Domini nostri Jesu Christi, quæ vocatur Cosmedin, fecit hospitium largum ac spatiosum satisque præciquum ad opem atque utilitatem pontificum, ubi obediens opportunum fuerit cum omnibus qui eis famulantur amplissime hospitentur.

Simili modo et in ecclesia beati Petri principis apostoli nutritori suo obtulit vela in arcus presbyterii cum chrysoclavo, habentem historiam, leonum figuras numero quadraginta. In eadem vero strenuo catenam opere factam contulit ex argento mundissimo, quæ pensat libras numero quatuor. Nam et in oratorio sanctæ crucis, quod infra basilicam beati Petri apostoli constitutum est, fecit gabatham de argento unam pesantem libras duas. Ipse quidem sacratissimus pontifex fecit in basilica doctoris gentium beati Pauli apostoli candelabrum argenteum unum, pensans libras numero duas, et uncias sex. Verum etiam in titulo beati Eusebii confessoris Christi fecit super ciborium crucem cum velo de argento purissimo pensantem libras quatuor.

Hujus temporibus Michael filius Theophili imperatoris Constantinopolitanæ urbis imperator ob amorem apostolorum misit ad beatum Petrum apostolum dona per episcopos, quorum hæc sunt nomina, Methodius metropolitanus, et Samuel episcopi, et alii duo depositi ab honore episcopatus, quorum nomina hæc sunt, Zacharias et alius Theophilus, et alius imperialis laicus nomine Arsavir (Lasavir) protospatharius, id est patenam ex auro purissimo cum diversis lapidibus pretiosis albis, prasinis, et hyacinthinis. Similiter calicem de auro ex lapidibus circumdatum, et in circuitu pendentes hyacinthos in filo aureo, et repidis duobus in typo pavonum cum scutis et diversis lapidibus pretiosis hyacinthis albis, quæ pensant simul libras numero....

Similiter vero vestem de chrysoclavo cum gemmis albis habentem historiam Salvatoris, et beatum apostolum Petrum et Paulum, et alios apostolos, arbusta et rosas, utraque parte altaris legentes de nomine ipsius imperatoris miræ magnitudinis, et pulchritudinis decore. Et alia multa dona porrigentes pontifici, legationis verba sibi injuncta protinus ediderunt. Porro fatus imperator Græcorum, inventa pro imaginum depositis occasione sacrarum, missos apostolicæ sedis per supra fatos suos legatos Constantinopolim dirigi postulavit, intentans scilicet causam Ignatii patriarchæ, et Photii Constantinopolitanæ Ecclesiæ pervasoris: cupiens hic eundem sanctum virum Ignatium iudicio sedis apostolicæ callide per invidiam, ut postmodum patuit, condemnare, Photiumque neophytum ipsi Ecclesiæ subrogare.

Tunc pontifex summus imperatoris adhuc pessimæ cogitationis ignarus, duos episcopos illos, Radaldum scilicet et Zachariam, direxit: præcipiens ut quidquid de sacris imaginibus quæstio afferret, synodice diffinirent, et ipsius Ignatii patriarchæ, Photiique neophyti causam solemniter inquirerent tantum, et sibi renuntiarent.

Qui sancti pontificis parvipendentes statuta, quæ vel quanta insana pecunia illic corrupti more Vitalis, atque Mesini (Miseni) peregerint, inferius succincte transcurram. Interea multi Ravennatum, qui a Joanne ejusdem urbis archiepiscopo in rebus, et juris sui proprietatibus incommoda sustinebant, ad hunc beatissimum papam, ut a tantis oppressionibus eruerentur, veniebant. Quorum pie clamores audiens

A ipsum legatis suis et litteris sæpius archiepiscopum, quatenus talibus cederet actibus, commonuit. Sed ille mente confusa monita pii Patris obtendens (contemnens), pejora prioribus addere minime metuebat. Quanto autem benigna inspectio summi præsulis illum, ut resipisceret admonebat, tanto magis ad deteriora sæculi vertebat. Et super iniquitatem addere non desinebat.

Nam quosdam temere excommunicabat, quosdam autem a visitatione sedis apostolicæ avertebat. Et quorundam res sine legali iudicio occupabat. Nec non et sanctæ Romanæ Ecclesiæ plurima prædia auferebat. Missos illius spernebat, et gloriam beati Petri apostoli, quantum in se erat, evacuabat. Præcepta etiam juris sancti Petri, si apud quoscunque inveniebat, frangebat, et ad jus sancti Apollinaris transferebat. Nam presbyteros et diaconos non solum sibi subjectos, sed etiam per Æmiliam constitutos ad apostolicam sedem pertinentes, sine canonico iudicio deponebat, et alios carceri, alios autem fœtidis ergastulis retrudi faciebat.

B Alios crimen, quod non fecerant, scriptis confiteri cogebat. Constituta præterea ecclesiastica absque sedis apostolicæ consensu deprimebat. Et vocatus a summo pontifice Romam, se ad synodum non debere occurrere jactitabat.

Nec mirum cur postea ista fecerit, qui cautiones, et indiculos qui soliti sunt ab archiepiscopis Ravennatibus in scrinio fieri, in initio consecrationis suæ more Felicis decessoris sui falsavit, et quædam barbara scripta, quædam vero falsa composuit.

Eodem tempore papa prædictus ter ad synodum suis litteris eum vocavit, et ille venire contemnens a sancta synodo communionem privatus est. Deinde Papiam pergens, imperatoris auribus Ludovici Cæsaris molestiam intulit, solamenque mundanum quesivit. Tunc largiente ei Augusto legatos præcipuos, cum illis superbiæ repletus timore Romam pervenit.

C Sed pontifex almus, quia contra sacrorum canonum regulas excommunicato ipsi legati communicaverunt, benigne eos redarguit. Illis autem quæ egerunt desistentibus, eidem archiepiscopo a Deo conservandus papa mittebat, ut in Kalendis Novembris ad synodum a qua fuerat excommunicatus occurreret, plenamque satisfactionem ostenderet, nec non et tantis prævaricationibus finem imponeret. Ille autem noluit, sed retrorsum abiens recessit. Et ecce Æmilienses ac senatores urbis Ravennæ cum in numero populo ad vestigia præsulis hujus beati Romani cum lacrymis properantes, rogabant ut ad imitationem Domini nostri Jesu Christi pro recuperatione eorum non dedignaretur proficisci Ravennam, quatenus inspectis omnibus ad summam eos perduceret libertatem.

Itaque per semet beatissimus papa Ravennam proficens, cum de ejus adventu Joannes archiepiscopus cognovisset, usque Papiam continuo ad imperatoris aures denuo molestandas iter arripuit.

D Tum præsul optimus omnibus Ravennensibus, Æmiliensibus, et Pentapolitanis, res quas Joanne archiepiscopo et Gregorio fratre ejus rapientibus amiserant, clementer restituit ex præceptionis suæ decreto, quod tradidit et confirmavit. Præfato autem archiepiscopo, ut prædictum est, perveniente Papiam, concives ejusdem urbis uua cum Luithardo episcopo suo a Romano pontifice consecrato cum audivissent quod a summo pontifice excommunicatus idem esset archiepiscopus, in tanta se custodiæ circumspicione dediderunt, ut nec in suis domibus eum reciperent, nec hominibus ejus paterentur aliquid venundari, ne per tale commercium saltem locutionis eorum viderentur esse participes, ac per hoc excommunicationis notam incurrerent.

Potius autem cum de assistentibus ipsius archiepiscopi aliquos per plateas incedentes vidissent, clamabant: Isti de illis excommunicati sunt, non licet nobis

cum illis misceri. Tunc videns se idem archiepiscopus voluntatis suæ per hoc non posse machinamenta perficere, identidem se ab imperatore adjuvari poposcit. Cui hæc per internuntium mandat Augustus dicens: Vadat, et fastu elationis deposito tanto se humiliet pontifici, cui et nos et omnis Ecclesiæ generalitas inclinatur, et obedientiæ ac subjectioni colla submittat, quia quod cupit aliter minime consequi poterit.

Cumque archiepiscopus hæc audivisset, anxiam cœpit, et iterum importunis precibus legatos imperiales expetens Romam pervenit. Quem contra beatissimus papa hæc cognoscens, omnem illius arrogantiam tanquam aranearum telam despiciens, in qua prius sententia fuerat perseveravit, atque immobilis fuit. Tamen eisdem Augustalibus missis papa sanctissimus magna cum mansuetudine huiusmodi agens locutus est:

Si dilectus filius noster dominus imperator istius Joannis archiepiscopi actus et mores bene cognosceret, ipse non solum pro illo nos minime flagigaret; sed etiam, ut se corrigeret, ad nos eum etiam eo nolente dirigeret. Tunc, sicut ipse egregius papa decreverat, multis in unum episcopis provinciarum convenientibus eidem archiepiscopo destinavit, ut coram veniens de se plenissimam satisfactionem ostenderet, et quæ prævaricatus fuerat satius emendaret. Quod archiepiscopus per ter audiens, et se a nemine adjuvari posse conspiciens, in angustia lamenta et nimia tribulationis se contulit intus, et quos poterat cum lacrymis implorabat dicens: Misere mei, peto, misere mei. Et clementiam summi præsulis ut mei misereatur exposcite: quia ecce paratus sum ad omnia quæ præceperit peragenda. Quod nonnulli videntes et audientes summo referebant antisti, et responsionis illius, quas lamentabili voce dabat suggestiones ad liquidum exponebant. Tunc compatientissimus papa, Dominum qui mortem non vult peccatoris imitatus, misericordia motus præfatum archiepiscopum ad utilitatis viam tandem conversum suscipere decrevit. Tunc ille confestim apprehensa charta repromissionis et iuramenti sui scripturas, quas tempore consecrationis suæ imperfectis confusisque, ut in eis videbatur, repleverat dictionibus, propria manu scribens juxta consuetudinem antecessorum suorum composuit.

Et domum, quæ dicitur Leoniana, in qua beatissimus præsul cum episcopis, presbyteris, proceribus, et optimatibus multis astantibus residebat, conscendit, prædictasque scripturas, quas fecerat, super vivificam crucem Domini nostri Jesu Christi, atque sandalia ejus, et super sacrum quatuor sanctorum Evangeliorum codicem posuit, et has manu tenens, innumeris qui convenerant audientibus, clara voce sponte juravit, se omnibus diebus vitæ suæ observando integritate tenere atque perficere sicut in ipsis suis (suæ) responsionis continebatur atque legebatur scripturis.

Quas etiam in conspectu omnium ore proprio legit, summoque præsuli tradidit. His ita peractis ipse insignis et præcipuus pontifex in basilicam Salvatoris, quæ Constantiniana dicitur, cum omnibus episcopis, et cuncto clero altero die descendit. Ubi a summo pontifice jussus prænotatus archiepiscopus adfuit, et de crimine hæresos, quo impetebatur, se expurgavit.

Quem communioni ipse papa restituit, et ut sacram missarum solemniam celebraret licentiam ei benignus indulxit: sequenti vero die, præside edem summo et universali papa in eadem domo Leoniana, et juxta morem residentes sanctissimo sacerdotum et coepiscoporum collegio, adfuit archiepiscopus, et jussu summi præsulis resedit.

Tunc Emilienses astiterunt episcopi, dantes querimoniam in libellis super eundem Joannem archiepiscopum, dicentes se multa præjudicia et superimposita ab ipso archiepiscopo sustinere. Nam et non-

nulli Ravennenses et Emilienses eadem fatebantur, sicut in gestis, quæ in bibliotheca rejacent, quisquis investigaverit, poterit reperire.

Quæ audiens a Deo protectus pontifex una cum sancta synodo, contra ecclesiasticæ regulæ normam talia esse prædixit, ut et omnes istæ transgressiones corrigerentur, acclamante sancta synodo ita debere fieri, dulci affatu statuit, ne sibi principaliter græx commissus dominicus per desidiam lupinis lacerandus morsibus relinqueretur.

Verumtamen, o Joannes archiepiscopo, egregius inquit præsul, ut cuncta quæ dicuntur speciali possint correctione a modo facilius corrigi, præcipimus tibi, ut remota omni excusatione, præter gravem corporis molestiam, quæ te venire omnino prohibeat ad sedem apostolicam semel in singulis properare audeas annis, nisi forte remorandi licentiam ab apostolica sede percipias. Item, sancimus ut episcopos uer. Emiliam non consecres, nisi post electionem ducis, cleri, et populi per epistolam apostolicæ sedis præsulis acceperis eos consecrandi licentiam. Ipsos autem episcopos quotiescunque ad apostolicam sedem accedere voluerint nequaquam prohibeas. Sed et nullam dationem, quam sacri canones non præcipiunt, ab eis aliquando exigas. Præcipimus etiam, ut ipsos episcopos illam malam consuetudinem, quæ a quibusdam tricesimalis dicitur, nullo modo Ravennati exhibere, aut exercere compellas ecclesiæ, nec ullum morem, qui contra episcoporum privilegium sit, ab eis exigere quoquo modo tentes. Nihilominus præcipimus tibi ut nunquam res cujuscunque personæ, qualicunque ingenio vel chartula acquisitas et possessas olim, modo occupes, aut titulum superimponas, donec in præsentia apostolica, vel missi ejus, aut vestrorum Ravennæ legali ordine illos in judicio convincas. Cumque hoc a papa beatissimo observandum archiepiscopo Joanni fuisset injunctum ac imperatum, surrexit sancta synodus, et tribus vicibus acclamavit: Rectum judicium summi præsulis, justa definitio totius pastoris Ecclesiæ, salubris institutio Christi discipuli omnibus placet: omnes eadem dicimus, omnes eadem sapimus, omnes eadem judicamus. Tunc tam eodem archiepiscopo, quam omni sancta synodo sacri verbi pabulo relectis, dulcissimique saporis a beatissimo præsule nectare satiatis, unusquisque ad propria, licentia accepta pontificis, exivit.

Eodem tempore hic egregius et a Deo conservandus papa in ecclesia beatæ Dei genitricis Mariæ, quæ vocatur Cosmedin, fecit scalpi... de argento purissimo pensant, libras quinque et uncias duas. Nec non in titulo Vestinæ expressæ figuræ beati Vitalis martyris fecit iconam habentem quatuor libras et semis.

Fecit que etiam in basilica beati Christi martyris Anastasii in circuitu sacri altaris cum periclysi de blattin vela quatuor. In basilica vero beati Petri apostoli in oratorio sancti Gregorii papæ vestes fundatas per circuitum ornatas de olovero obtulit tres.

Qui beatissimus et præcipuus pontifex in ecclesia doctoris gentium beati Pauli apostoli miræ pulchritudinis vestem auro textam in circuitu gemmas habentem hyacinthinas, albas, ac prasinatas, simulque et carbunculos lapides, mente obtulit pura. Ubi etiam et duo vela pari modo auro texta fecit cum gemmis et obtulit. Ecclesiam autem Dei genitricis semperque Virginis Mariæ, quæ primitus Antiqua, nunc autem Nova, vocabatur, quam dominus Leo quartus papa a fundamentis construxerat, sed picturis eam minime decorarat, iste beatissimus præsul pulchris ac variis fecit depingi coloribus, augens decorem, et plurimis corde puro ornavit speciebus.

Igitur, ut paulo superius protuli, quoddam in sancta Constantinopolitana schisma adoleverat Ecclesia, scilicet quia ejecto ex ejusdem sede Ecclesiæ Ignatio reverendissimo patriarcha, Photium ex laicis, et ex militia tonsuratum contra reverendorum canonum statuta, neophytum subito inibi subrogarunt antisti-

tem. Verum quia Michael imperator Græcorum super his Ignatium patriarcham Constantinopolitanum, quem tempore domni Leonis IV papæ laudum præconiis extulerunt, vituperando et invasorem Photium collaudando Romanam sedem, ut illuc iste beatissimus, et insignis papa missos suos ad inveniendâ quæ dicebantur dirigeret, humiliter per Arsavir spatharium scilicet legatum, et apices suos, consuluit.

Porro eo quod vigorem ecclesiasticum desiderabat intemeratum consistere, id fieri summus præsul minime recusavit. Cupiens zizaniorum cumulos usque ad radicem evellere, ne in sancta Dei Ecclesia per desidiâ in aliquo macula pullularet.

Tunc e latere suo duos episcopos Radoaldum, sicut prædictum est, Portuensem, et Zachariam Anagninum. quos idoneos ad hoc opus esse putavit, direxit. præcipiens, et mandans eis, ut causam ejectionis ipsius Ignatii, et subrogationis Photii solummodo inquirerent, et sibi renuntiarent: et interim Photii neophyti communionem vitarent, quousque revertentes certum de omnibus responsum reddere studuissent. Illi autem abeuntes, quod in mandatis acceperant contemnentes, non solum Photio neophyto contra sibi interdictam sententiam communicaverunt, sed etiam corrupti muneribus ipsi, et consecrationi ejus favendo, convocata generali synodo, eundem virum Ignatium patriarcham denuo deposuerunt; sicut in gestis Constantinopoli ab illis compilatis facile reperitur, et per legatos, scilicet Leonem a secretis, ac alios, necnon et episcopos olim prædicti imperatoris veraciter mansit compertum.

Revertentibus autem legatis, quod in Photio egerant nonnullis præconiis extollebant, et qui in Ignatio patriarcha nequiter operati fuerant, multis oppositionibus vituperabant. Rector ergo et totius Ecclesiæ princeps, apostolicæ sedis eximius et discretus præsul. Romæ hæc sancto considerabat intuitu: sed audita quæ contra suam dispositionem fuerant perpetrata, donec secundum mysticum suæ intellectum sophiæ cuncta scrutaretur, minime credebatur. Interim sacræ suæ auctoritatis tam ad Michaellem Græcorum imperatorem quam ad eundem Photium litteras, quæ in hujus sedis scrinio habentur, componens, dansque illas eidem Leoni a secretis et mandans nec in depositione Ignatii patriarchæ, nec in subrogatione Photii se fore consensurum, quousque veritate agnita coram se legitimum causa finem acciperet.

Ubi aliis aientibus ipsius præsulis in hoc fuisse decretum, et aliis acclamantibus Ignatium injuste exstitisse depositum, supernum arbitrium idem summus jugiter pontifex precabatur, ut per ejus clementiam, quem nulla latent absconsa, Dei patefieret Ecclesiæ suæ voluntatis in talibus non fuisse consensum.

Tunc vocavit zelo fretus divino episcoporum concilium, in quo luculentius patefactum est in depositione Ignatii illum minime consensisse, et legatos apostolicæ sedis in talibus deviasse. Denique decernente eodem piissimo cum sancta synodo præsul præfatum Zachariam episcopum, qui tunc aderat; sicut beatus papa Felix Vitalem et Misenum episcopos, qui Petro Alexandrino hæretica sæce coinquinato coacti consenserant, sacerdotali gradu, imo ecclesiastica communione privavit, eo quod in pluribus apostolica interdicta excessisse inventus est. Et Radoaldi episcopi causa, quem postea cum sancta synodo pariter papa pius, mandata ejus etiam in Galliis violantem, et excommunicationem frangentem, judiciumque canonicum subterfugientem damnavit, suspensa est.

Igitur ipse præclarus vir, sanctique studii pontifex quemdam Pomponem diaconum et Pandulpho episcopo sedem apostolicam appellentem injuste depositum, officio suo restitui jussit. Et quia sine certo numero episcoporum, imo sine criminis approbatione, et ipse diaconus sine oris professione fuerat judicatus, omnem illam judicii sententiam cassavit, et ad

(a) Hic aliquid deesse videtur.

A rectitudinis tramitem apostolica causam pietate reduxit.

Ipsa etiam præstantissimo præsule culmen apostolicum gubernante Ludovicus Augustus hæc sancto Petro apostolo contulit dona, videlicet (a). Erat autem clementissimus idem pontifex in exhibendis Domini gregis vigiliis adeo curiosus, ut cum aliquod scandalum in sancta Ecclesia oriebatur, nec requiem corpori, nec membra dabat sopori, quousque per missos aut litteras suas pax reformaretur, et tranquillitatis populus resumeret lucrum.

Nam Lotharius rex relicta Theutherga regina, et Waldrada concubina in matrimonium sumpta carnaliter, licet super his Romanam sedem eundemque pius consulisset pontificem, in putredine luxuriæ, carnisque petulantiaolvebatur. Cumque hoc summus pontifex malum qualiter ab Ecclesia Dei pelleret, ne alios hujus morbi peste rex ille pollueret, intra se cogitaret, diutissimè cœpit affligi, et intimo corde dolens, valde super istis gemebat erroribus. Præsertim cum Theutgaudum Treverensem et Guntherium [al., Thiergaudum et Guntharium] Agrippinæ Coloniae archiepiscopos cum Haganone Bergomensi et cæteris episcopis talem eidem regi auctoritatem dedisse audierit, ut Theutbergam liberius posset rejicere, et Waldradam concubinam in matrimonium adjuutores habere atque ductores, ipsos habere præsul beatissimus compererat, hanc dando pro auctoritate perpetuo igni, traditores. Unde sine mora continuo missos suos in Franciam destinavit, præcipiens et monens ut in Metensium urbe, aggregato synodali conventu, requirerent cur idem rex Theutbergam [al., Tietbergam] rejiceret, aut Waldradam sibi in conjugium copularet. Quo requisito et inventum legitimum finem imponerent.

Sed pervenientes illuc sedis apostolicæ legati scrutari cœperunt hujusmodi causam, et id ab Lothario inter cætera audierunt: Quidquid ego feci, istorum episcoporum consilio usus feci. Erant autem ibi præcipui prædicti Theutgaudus, et Guntherius archiepiscopi, quos auctores in tanto scelere sanctus jam papa compererat, astruentes et dicentes, legitimum illud fuisse connubium quod de Waldrada concubina rex construxit Lotharius, et quæ dicebant, coram domino eximio papa venientes se defendere posse spondebant. Cumque legati apostolicæ sedis, licet in multis seducti, Romam iter regrediendo reflecterent, quæ a rege ac a Theutgaudo et Guntherio archiepiscopis audierant ac cognoverant, summo retulerunt pontifici. Piissimus autem præsul adventum archiepiscoporum dum præstolaretur illorum, ecce superna dirigente clementia, idem Theutgaudus et Guntharius archiepiscopi Romanam urbem adeuntes, vestigiis hujus præsulis se sacris præsentari petierunt. Quibus benigne a præsule præstantissimo susceptis, libellum ei obtulerunt, dicentes se nihil plus vel minus egisse, nisi sicut libellus ipse cantabat. Quo diligentissime scrutato, non pauca in eo reperta sunt profani et multis inauditi sermonis turpitudinem habentia, quæ episcopalem excedentia ordinem ipsos sicut phœneticos ligaverunt archiepiscopos. Denique convocata synodo in Lateranensi post hæc palatio sub apostolis, inventi sunt iidem, ut dictum est, archiepiscopi, unde damnationis notam incurrerent, præcipue, quia auctores se tanti divortii fuisse clamabant, et sententiam quam in Ingiltrudem uxorem Bosonis papa tulerat, quæ eundem virum suum Bosonem per septenne tempus reliquerat (ut quæ excommunicata etiam, et a summæ sedis pio papa ligata, et anathematizata exstiterat, et ad eum reverti curaverat) communicantes ac conversantes cum ea, imo loquentes, dissolvisse se non negabant, sed altisonè publicabant, et epistolam pii pontificis, sicut in illis male compositis gestis in scrinio hujus sedis repositis delaturatur, ad libitum falsaverant.

Tunc judicante et eodem sancto præsule cum

synodo decernente sacerdotati honore privati sunt. Et depositionis censuram merito incurrerunt.

In hac quidem synodo benignus præsul Metensem synodum, ubi gesta illa contra voluntatem Dei et suam digesta fuerant, illico cassavit, et quædam necessaria in sancta Ecclesia capitula promulgavit.

His ita peractis una cum jam dicto Haganone episcopo, qui, sicut quidam episcoporum eidem coangelico præsul scribebant, ob sermones imperitos, qui in prænominatis profanis gestis a Teutgaudo et Gunthario oblatis sonabant, Heliu nominatus est, eo quod ipse Hagano auctor illorum fuerit, et talia cum eisdem archiepiscopis inconvenientibus, mendacibusque loquelis composuerit, Joanne, de cujus superius memoria textus eloquitur, ascito archiepiscopo cum Gregorio germano fratre illius, qui multarum prævaricationum juramenti quod præstiterant obliti, obnoxii habebantur. Iidem depositi pœnitentiæ lamenta non requirentes, et tantum facinus, quod in uxorem Lotharii regis gesserant, adhuc non condolentes cum eisdem, Hagone scilicet et Joanne Ravennate archiepiscopo, et Gregorio fratre ejus contra sedem Romanam, imo specialiter contra summum pontificem, et populum illi subditum, a Domino Jesu Christo per beatum Petrum apostolum regni cœlorum clavigerum commentatum multa nefanda, multa contraria, multaque sacrilega, et Christianitatis modum excedentia palam et clam fraudulentè atque procaciter operari cœperunt, ita ut eorum nequitia montes transiret et maria et in cœlum os suum ponentes populum Domini crudeliter discernerent, et innocentes animas viperæ factione deciperent. Et quibus non sufficiebant mala præterita, nova et inaudita alia deteriora prioribus diabolo suadenter facere non recusabant. Quia et quod sigillatim utriusque prohibitum, et synodice secundum qualitatem sceleris interdictum fuerat, audacter contingere præsumperunt, et quæ tentanda nemini, Deo contempto, heu proh dolor! peregerunt.

Hic Christi amicus omnium nomina claudorum, cæcorum, atque ex toto debilium in urbe Roma consistentium scripta apud se retinens quotidianum illis victum ministrare studiose curabat. Nam reliquis pauperibus gressum, aut vires habentibus hujusmodi, ut vicissim eos pasceret sapienter, reperit modum, scilicet bullas suo nomine titulas fieri jussit, et has eis dari præcepit. Ut quanti prima feria, quanti secunda, quanti tertia, vel cæteris aliis feriis prandere debuissent, per signum bullarum facilius nosceretur, et in illis quidem bullis, quæ eis datæ sunt, qui prima feria refici debeant, fecit per singulas duos nodos, et sic per omnes usque in Sabbatum, ut quot feriæ essent, tot essent nodi per singulas bullas, includens, in eis nudes, ubi nodi fiebant, quatenus nullus pauper haberetur in Urbe, qui vel uno die per hebdomadam de suis eleemosynis non esset reffectus. Interca Carolus rex sancto apostolo Petro obtulit ex purissimo auro et gemmis constructam vestem, habentem gemmas prasinas, hyacinthinas, et albas. Sanctissimus autem et fulgidissimus pontifex dolens populum tot oppressum calamitatibus, Deum tantummodo innumeris invocabat precibus, et infinitis laudabat præconiis, non tamen Ecclesiarum Dei curam relinquens, sed potius in tribulatione, et temporali tentatione decenter adaugens. Nam renovavit in basilica Dei genitricis Mariæ, quæ dicitur Cosmedin, secretarium, ibique pulchri decoris fecit triclinium cum caminatis ad honorem et decorem ejus.

Pari modo juxta idem secretarium porticum renovans, illic construxit atque ædificavit oratorium in honorem sancti Nicolai, et plura dona ibi contulit almus pontifex. Renovavit etiam ipse pastor benignus cœmeterium beati Felicis martyris, ac conversionem in via Portuensi. Necnon et cœmeterium eadem via ad Ursum pileatum, ubi corpora sanctorum Christi martyrum Abdon et Sennen requieverunt, jam in

A ruinis positum pulchro ac miro restauravit honore. Via autem Appia in cœmeterio sancti Christi martyris Sebastiani in Catacumba, ubi apostolorum corpora jacuerunt quod multis annis ruerat, meliori illud fabrica renovans, monasterium fecit, et monachos sub abbatis regimine undecunque potuit aggregavit, victuique necessaria dari, cæteraque stipendia ministrari præcepit.

Hujus igitur tempore cum multi ad sanctitatis ejus nomen accurrerunt, quidam de Anglorum gente Romam venerunt, qui in oratorio beati Gregorii papæ et confessoris Christi, intra principis apostolorum ædem: sacram Frascatae constructo, unam tabulam argenteam posuerunt habentem lib....

B Prædictus clementissimus pontifex in ecclesia cœlestis regni clavigeri beatissimi Petri apostoli vela numero quinque de fundato, quæ ad decorem ipsius basilicæ sursum in trabibus intra tantæ ædis vestibulum appenduntur ornata in circuitu olovero optimo fecit, et pro æternæ vitæ contulit palma. Hujus beatissimi temporibus præsulis tot tantæque diversarum provinciarum, cognita luce clarius doctrina præclari dogmatis ejus, ad sedem apostolicam consultationes directæ sunt, quantas nunquam penitus quis reminiscitur a priscis temporibus pervenisse: qui præsagus sacri verbi pabulo præsul ubertim singulos reficiebat, tradens eis præcepta juraque mystica, beatificis illos institutis satiabat, docebat, et ad propria benedictos et eruditos remittebat. Et quidquid quoquo modo perperam fieri cognoscebat, audiebatve per aliquos, Dei tantum respectu corrigere illud malens, gravibus lamentis orationibusque infinitis vacabat, ut Deus omnipotens per suam clementiam tale quid, tanquam non esset, bonis ac præcipuis immutaret exemplis. Sicuti veniente de insula Sardinia relatione, quod etiam et per domesticos suos genere Sardos agnoscens, hujusmodi verbis ei relatum fuit quod judices ipsius insulæ cum populo gubernationibus suis subjecto cum proximis ac sanguinis sui propinquis incestas et illicitas contraherent copulas, velut temporibus domni Gregorii quarti papæ facere consueverant. Tunc enim mellifluos, et prævaricantibus, a sancto Spiritu doctus, terribiles suæ prædicationis, quæ in universo orbe micabat, componens apices, missos etiam strenuos Paulum, Populoniensem episcopum, et Saxum, venerabilem monasterii sanctorum Joannis et Pauli abbatem, accersiens misit eos illuc, ut eandem gentem Sardorum a tanto revocarent errore. Quibus euntibus, valde quosdam ex eis invenerunt adversos, disciplinæ monita recipere contemnentes. Verum tamen secundum præceptionis summi præsulis auctoritatem Sardos excommunicaverunt ac anathematizaverunt auditores, quousque malum incestarum effugerent copularum, pœnitentiæ medicamina requirentes, sicut in epistolis quas idem legati in Sardiniam deportaverant regesto ipsius præsulis continetur insertis. Et sic Romam post affluentes prædicationes datas reversi sunt.

D Quidam præterea Hincmarus Rhemorum archiepiscopus Rothadum Suessionicæ urbis episcopum sedis apostolicæ judicium appellantem contra Sardinensis concilii regulas deposuit, custodiaque arcta servari præcepit: cujus videlicet depositi ter beatissimus papa libellos cum innocentie suscepisset, ipsum archiepiscopum monens litteris, et præcipiens ut depositum Rothadum Romam dirigeret cum suis missis audiendum Sed veniente eo hanc Romanam secundum mandatum beati papæ ad urbem, et per novem circiter menses hic commorante nunquam penitus ex accusantium parte quisquam adfuit, qui coram sanctissimo præsule cum eodem Rothado contenderet, aut illum accusaret. Tunc in die vigiliarum nativitatis Domini nostri Jesu Christi, quo secundum olitanam consuetudinem hujus apostolicæ sedis præsul cum clero et populo in basilica Dei genitricis ad præsepe missarum officia celebrare con-

sucverat, conveniens cum omnibus, papa benignus fecit in ambone publice de ipso Rothado sermonem, significans qualiter sedem apostolicam appellans depositus fuerit, et in conspectu suo nullus per tot menses accusatorum occurreret. Denique consentiente sibi episcoporum, presbyterorum, et diaconorum, omniumque conventu, decrevit ut dignus esset idem Rothadus indui sacerdotalibus indumentis, qui a nemine per tot menses accusabatur, et ad sedis apostolicæ judicium proclamabat, nec honore privaretur. Ubi vestitus episcopali Rothadus indumento, omni tempore se pollicitus est suis infestatoribus respondurum, rursus exspectatis aliquantis diebus, scilicet usque in diem natalitium sanctæ virginis Agnetis, qui est duodecimo Kalendas Februarii: sed nec sic quisquam adfuit adversum Rothadam jam restitutum episcopum aliquid altercans.

Conveniens ergo beatissimo præsule cum omnibus in basilicam ipsius Virginis foris muros urbis via Numentana, idem Rothadus episcopus excusationis et promissionis suæ, qua pollicitus fuit se omni tempore accusatoribus suis respondurum, libellum summo pontifici tradidit, qui coram cunctis audientibus jussu præsulis eximii est recitatus: ubi etiam restitutionis ejus forma relecta est. Et post omnium consensum in ecclesia sanctæ Constantiæ juxta eandem sanctæ virginis basilicam decreto beatissimi hujus præsulis sæpeditus Rothadus jam restitutus episcopus missarum solemniter celebravit. Sequenti vero die congregata in domo quæ nuncupatur Leoniana denuo synodo, excusatoque ipso (sicut in libellis ab eo recognitis, duobusque quaternionibus insertis atque diverso tempore missis et oblatis, in archivo hujus sedis repositis continetur) Rothado, ne talia sacerdotes, et maxime sedem apostolicam appellantes, ultra discrimina paterentur, sicut prænotatum est, in gradum pristinum est restitutus, et ad propriam sedem cum apostolicis sanctionibus remissus, quatenus vestitus episcopalibus infulis, si provocatus fuisset, de cætero suis accusatoribus coram sedis apostolicæ præsule responderet. Cum quo et sanctissimus et a Deo conservandus præsul, tam pro restitutione illius, quam pro abolenda regis Lotharii copula, et pace etiam et concordia regum Galliarum conservanda, Arsenium episcopum hujus almæ sedis apostolicæ apocrisiarium et missum illico destinavit, quatenus reformata pace sanctæ eos Ecclesiæ sinibus sine refragatione conjungeret, et quædam necessaria in Galliarum Ecclesia ex apostolica traditione statuta diligentius et affluentius perageret.

Nihilominus Seufredum Placentiæ sedis antistitem, a sede propria cujusdam Pauli diaconi perfidia, per legatos suos idem papa sedi suæ restituit, et eundem diaconum, qui sedem illam proprio rectore superstite præsumpsit invadere, competenti cum suis sequacibus increpatione corripuit.

Pro cujus etiam infausta nefariaque præsumptione penitus amputanda sanctitatis studio jussit, et pro pace Dei Ecclesiæ ipsi jam fato præcepit diacono, ut nec tale quid unquam tentaret peragere, nec eandem sedem Placentinam, sive viveret Seufredus, sive moreretur episcopus, repetere præsumeret vel recipere. Omnium namque insignis idem atque præclarus pontifex pietate magistra miserias et necessitates prævidens, cunctis clementer compatiendo celeri subveniebat egenis intuitu, et imitatione Domini nostri Jesu Christi, qui ad redimendum humanum genus e sublimi descendit ad infima, pro populo labores sustinebat ingentes.

Claudorum quoque propter atque cæcorum, necnon et diversis pœnis affectorum in porticu beati Petri apostoli jacentium, ad oram Tiberini fluminis ad sitim auferendam non posse gressus tendere conspiciens, ac diversarum gentium, quæ undique pro sceleribus apostolica limina propriis expetebant, utilitatem divinitus attendens, minime corpori suo parcens, jussit formam aquæductus qui multis ante

A temporibus ruerat, et ob hoc ad beatum Petrum apostolum aqua non ducebatur, in meliorem quam fuerat conamine quamplurimo revocari statum: ita ut non solum hominibus profuerit debilibus, sed etiam omnibus ecclesiam beati principis apostolorum adeuntibus præcipuum opus exstiterit, sicut et hactenus ad decorem Leonianæ urbis luculenter conspicitur ac habetur.

Præterea Ostiensem urbem, quam divæ memoriæ beatus papa Gregorius, ne gens iniqua Saracenorum populum Domini in circuitu caperet aut interimeret, ad salutem multorum construxerat, in ruinis jacentem inspiratione superna tactus fortiori firmiorique fabrica reædificari isto sanctissimus præsul jussit, et in melius restauravit, portisque etiam in turribus fortissimis muniens promptos ad bella in ea homines collocavit, ita ut nullatenus alienæ gentis incursio de cætero illi posset dominari, aut concivibus ejus damna in aliquo absit, quod absit, per desidiam operari.

B Interea meritis beatissimi hujus in orbe prorsus exuberantibus, operante potentia summi Dei, qui quotidie per famulos suos signa et mirabilia magna facit, rex Bulgarorum Michael Christianitatis et fidei sanctæ doctrinam agnoscens, meruit baptizari, et qui prius creaturæ serviens sæviebat crudelitate, hujus temporibus creatori colla submittens ampla cœpit religione jubere, magnaue usus est pietate. Tunc ad hunc catholicum et vere præsulem orthodoxum legatos suos mense Augusto, indictione xiv destinavit, donaque non parva tam sanctis locis quam eidem summo pontifici contulit, suggerens ejus apostolatui quid se facere salubrius oppoteret, vel quid erga reliquum Bulgaricum adhuc baptismo sacro carentem populum, ut fidei sacramenta perciperet, agi deberet.

C Quod beatissimus audiens papa magna repletus lætitia laudes Christo reddidit amplas, et cum omni sibi divinitus commissa Ecclesia gratulans infinita præconia Deo nostro, qui novissimis his temporibus tantum fecit miraculum, devota mente, supplici quoque voce [voto] persolvit. Porro legatis ejusdem jam nomine Michaelis Bulgarici regis a sancto papa receptis, honorifice apud se eos retinuit. Et interim sedis apostolicæ missos, Paulum scilicet Populonensem, et Formosum Portuensem magnæ sanctitatis episcopos statuens, hosque monitis mellifluis atque doctrinis instituens, ad prædicandum genti illi eos ire decrevit. Cum quibus quoniam per Bulgaricum regnum iter usque Constantinopolim terra tenus tenditur, ut quidquid de sancta Constantinopolitana Ecclesia (licet jam per Orientem hoc ipsum idem papa semel et his apostolicis litteris divulgatum habuerit) apud se decretum existeret, eidem per suos legatos Ecclesiæ notum faceret, Donatum episcopum Ostiensem, Leonemque presbyterum sanctæ Romanæ Ecclesiæ, necnon Marinum sanctæ sedis apostolicæ diaconum missos idoneos æque direxit, ut illi Bulgaricæ populum ad fidem converterent, et iste quid vel qualiter apostolica sedes de eadem Constantinopolitana deliberatum habuisset Ecclesia modis omnibus nuntiaret. Quod in nomine Domini cum adjutorio sancti Petri factum est. Sed præfatis Paulo et Formoso venerabilibus episcopis in Bulgaria morantibus Donatus reverendus episcopus, Leoque presbyter, et Marinus apostolicæ sedis minister, dum Constantinopolim ire vellent; ecce inter fines Bulgaricæ Constantinopolitanorumque quemdam Theodorum marcam illam custodientem invenerunt qui eos ultra non dimisit abire, quin potius innumeris eos denotans injuriis, adeo tantæ sedis legatis abusus est, ut etiam equorum, in quibus sedebant, capita percuteret, diceretque: Imperator noster vos necessarios sane non habet.

D Sed idem imperator legatis regis Bulgarorum ita fertur dixisse: Nisi per Bulgariam missi sedis apostolicæ venissent, nec faciem meam, nec Romam

diebus vitæ suæ viderent. Illi vero per quadraginta dies illic residentes ut cognoverunt quia hoc imperator Græcorum fieri jusserat, terga verterunt, et Romam hæc eadem nuntiantes coacti reversi sunt. Porro a prærenomato rege Bulgarorum apostolici missi mente alacri magna que suscepti devotione cœperunt salutaribus edocere populū monitis, et a minimo usque ad maximum sacro fonte cum Dei gratia abluerunt, omnemque ritum Christianæ fidei, sicut a sanctissimo papa instructi fuerant, in consuetudinem Bulgarorum tradiderunt. Gloriosus autem Bulgarorum rex fidei tanta cœpit flagrare, monitis hujus pii patris illectus constantia, ut omnes a suo regno pellens alienigenas, præfatorum apostolicorum solummodo prædicatione usus missorum, pascuis vitæ æternæ jugiter refici nempe decreverit, unumque ex his Formosum vita et moribus episcopum sibi dari archiepiscopum expetierit. Tunc iterum legatos suos Romam direxit, et inter alia beatissimo papæ idipsum suggerens, ab ejus sanctitate pro instructione gentis illius presbyteros postulavit. Ipse vero talibus papa compertis valde gavisus est. et infinitas Deo laudes rependens, non paucos numero coram se probavit presbyteros, et quos dignos reperit prædicationis gratia in Bulgariam direxit, cum quibus Dominicum Trivensem, et Grimoaldum Polimartiensem episcopos destinavit. Ut quia ipsum Formosum plebem dimittere sibi creditam non oportebat episcopum, ex his presbyteris ad archiepiscopatum qui dignus inveniretur in nomine Domini tandem eligeretur, et sedi consecrandus apostolicæ mitteretur.

Inter hæc quidem statuit beatissimus papa, solertissimusque vitiorum corrector, et Dei cultor, ut penetrantibus ipsis Bulgariam episcopis, Paulus, cujus superius memoriam fecimus, Populoniensis, ipseque Grimoaldus episcopi in Bulgaria quidquid ad divinum ministerium pro instructione gentis illius pertineret efficerent, et sæpius dictus Formosus, atque Dominicus venerabiles episcopi, iterum Constantinopolim pro schismate ibi exorto, de quo jam late disserui proficiscerentur.

Sed dum hæc agerentur, Dei judicio, Michaelē Græcorum imperatorum ultio digna perculit, et nefanda nece peremit. Imperante autem Basilio in Constantinopoli, quoniam voluit Deus ipsius sancti pontificis juges labores, quos pro sancta Constantinopolitana passus fuit Ecclesia, cum sine boni operis consummare, sicut fama se habuit, Photius neophytus ac invasor ut mœchus pellitur, et juxta decretum sedis apostolicæ patriarchæ Ignatius Constantinopolitano redditur throno. Neque enim hic divinorum exsecutor operum piissimus et catholicus papa quæ sua sunt, sed ea quæ Dei sunt, primo loco posuit et quæsit. Et cum adjutorio sancti Petri bella Domini summo dispensationis libramine spiritaliter præliari curavit. Prælatos siquidem quosque, ne subditos læderent, magna provisione moderans, ut pater commonuit. et ut subjecti prælatis subessent, juxta uniuscujusque privilegia pastoraliter quoque decrevit. Cujus qui sanctum studium vult agnoscere, in epistolis suis, quæ bene libratas per mundi partes direxit, luce clarius invenire valebit. Quippe qui animam suam in manibus posuit, qui nulla nisi cœlestia cogitabat, et qui jejuniis, vigiliis, et orationibus nocte ac die vacans, nec requiem corpori, nec membra dabat sopori. Nam si cuncta, quæ Christi

gratia plenus, virtutibus atque fide sanctitatis operagessit, et moribus vitæ docuit et implevit, chartis inserere volumus, prius fortasse membrana quam sermo deficiet. Tamen antequam ad finem vitæ illius stylum vertamus, primum ad ea quæ sanctis locis contulit redeamus.

Hic igitur egregius papa ob amorem principis apostolorum Petri apostoli nutritoris sui fecit in basilica ejus pannos tam scilicet de stauraci, quiam et de fundato, vel aliis pulchris variisque coloribus numero quatuor. Qui trabes majores in presbyterium respicientes omnes in gyro complevit, quæ illud luculenter ornant, decusque augent, et amplius mira sua magnitudine dant honorem. Ubi etiam, quod nullus post devastationem Saracenorum agere nixus est, arcum feci, argenteum, et melius quam olim fuerat superexcelsiorem trabem, quæ est ante ciborium, in medio posuit pensantem libras... et tres imagines argenteas, una figuram Domini salvatoris, duabus vero angelorum sculpsit effigies, ac illis novem libras auri deaurans superposuit, quarum una pensat libras octoginta, alia libras septuaginta. Tertia vero pensat libras similiter septuaginta. Fecitque ibi crucem auream unam pretiosis gemmis ornatam pensantem libras... et in summitate ejusdem arcus locavit, ubi pro amplitudine decoris ejus, atque speciminis appendit coronam auream unam, cruces argenteas duas, calices argenteos duos, et stupos [scyphos] argenteos duos. Porro in purpureis marioribus, quæ ante corpus beati Petri apostoli rugas argenteas retinent, dextra lævaque duas cruces argenteas offerens posuit pensantes libras...

In patriarchio siquidem Lateranensi domum pulcherrimam nimisque decoram fieri jussit. Et oratorium sanctæ Dei Genitricis illis construens, vestes et competentes ornatus pro æternæ vitæ amore lucifluis votis ipse beatissimus pontifex obtulit. Idem etiam a Deo protectus, et cœlesti gratia circumvallatus multa casum minantia renovavit loca sanctorum, et diversis ecclesiis diversa munera contulit, et commoda luculenter adauxit. Et in ciborio Constantinianæ basilicæ optimos de sifori, et de fundato quatuor pannos appendit. Deinde regni cœlorum clavigero parvis in ciborio numeri pannos optimos obtulit.

In ecclesia doctoris gentium similiter fecit. In ecclesia sanctæ Dei Genitricis ad Præsepe pari modo æternæ pro retributionis præmiis egit. Et in ecclesia sancti Laurentii Christi martyris foris muros urbis æque pannos optimos quatuor in ciborio dedit. Hujus quippe beati temporibus præsulis tanta ubertas, et victuum copia exstitit, ut omnem memoriam famis decessoris sui factæ diebus hæc oblivioni traderet abundantia. Hic fecit ordinationem unam per mensem Martium, presbyteros septem, diaconos quatuor, episcopos per diversa loca numero sexaginta quinque. Postquam autem sedem apostolicam victoriosissime, et ut verus Dei athleta catholice ac principaliter rexit, ex hac luce idibus Novembris indictione prima migravit ad Dominum. Porro, quid dicam, cum non solum ejus exitum diversæ hominum nationes plena ratione utentes, verum etiam, quantum ad intemperantiam aeris, ipsa mundi elementa diu fleverunt, et de morte tanti viri in tristitia permanserunt. Quo defuncto corpus ejus sepultum est ante fores basilicæ beati Petri apostoli.